

- 
23. An habeant fines certos, et propriam Ecclesiam : et quo Capellae inveniantur in districtu uniuscujusque Parochiae ?
  24. An aliquae Parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus et quibus ?
  25. An Parochi habeant Sacerdotes, qui eos adjuvent in cura animarum ?
  26. Exprimatur numerus et qualitas Catholicorum in singulis quibusque locis degentium.
  27. An sint et quo numero scholae catholicae et quot in iis instituantur ?
  28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore ?
  29. An sint et quo numero scholae acatholicorum et num catholici et quo numero illas adeant ?
  30. Exprimatur numerus Sacerdotum indigenarum et exterorum.
  31. Eorum patria, mores, munera in quibus se exercent, et cuius utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.
  32. An hujusmodi Sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cuius expensis vivant ?
  33. An inter istos inveniantur Alumni Sacr. Congregationis de Propaganda Fide : quinam sint : et an satisfaciant muneri suo ?
  34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates Sacerdotum indigenarum, qui sunt extra Dioecesim : tum etiam adnotentur loca in quibus morantur : quid ibi peragant : et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae ?
  35. An sint etiam Clerici, et quot : quomodo, et ad quem titulum ordinentur ; ubi resideant ; et quid ab illis exigatur, ut ad Sacros Ordines promoveri possint ?